DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HAEMOPTYSI.

AUCTORE DAVIDE WIGHT.

PROŒMIUM.

Morbi interni subitò invadentes, signisque periculosis emicantes, non solum alios et imperitos perterrefaciunt, sed difficultatibus medicum ipsum, utcunque solertem, haud levibus angunt. Neque hoc mirum; scilicet, quia causa et fons mali intra corpus, ubi neque oculis neque tactu indagari queant, necessarie obteguntur.

Inter morbos internos et mala e vi externa orientia plurimum hic intercedit discrimen; in

his nimirum causa, natura, atque laesionis magnitudo saepe specie prima facile dignoscuntur; in illis autem nihil in aprico est praeter effectum, quo perpenso, laesionis internae natura et magnitudo, conjecturis saepe parum accuratis vel haud raro obscuris, quaerendae sunt.

Harum observationum haemorrhagiarum totus ordo, sed praecipue haemoptysis, prae caeteris morbis internis, exemplum praebere solet: quippe quia hic morbus pulmonem, viscus vitae prorsus necessarium, fabrica delicatissimum, vasis nervisque exiguis praeditum, ideoque causis saepe levibus facile vitiatum, multis et nonnunquam insanabilibus morbis obnoxium, occupat infestatque.

Mihi aliquid de re medicâ scribere volenti, curationem haemoptyseös tractare, in mentem ventum est. Si adeo felix sim, aliquid judicum eruditorum attentione dignum, proferre, praemium gratissimum me adeptum esse, lubentissime fatebor, neque me hujus tentaminis, utcunque rudis et maculosi, unquam poenitebit.

HISTORIA MORBI.

HAEMOPTYSIS in classe "Pyrexiae" et ordine "Haemorrhagiae" a clarissimo CULLENO collocatur, hancque definitionem accepit:

"Genarum rubor; molestiae aut doloris, et
"aliquando caloris, in pectore sensus; dys-
"pnoea; titillatio faucium; tussis aut tussicula
"sanguinem floridum, saepe spumosum, reji-
"ciens."

Morbus omnibus regionibus et anni tempestatibus communis, sed vere vel aestate sese saepius ostendit. Haud dubium homines inter decimum sextum et trigesimum aetatis annum, florente juventute, eximioque vultus colore, temperamento sanguineo (praesertim si nonnihil vitii haereditarii scrophulosi adfuerit) praestantes, impetui hujus morbi, prae caeteris, maxime obnoxios esse.

De eruptione sanguinis signis sequentibus admonemur; scilicet, lassitudine generali, ventriculi flatu vel nauseâ, rigoribus validis, sed nonnunquam satis levibus, et ab aegro ipso vix percipiendis, molestiae sensu circum praecordia, pulsibus arteriarum crebris, sed debilibus, capitis dolore, et *hectico* oris rubore.

His per spatium horae vel amplius prementibus, haud multo post accedunt motus arteriarum incitatior,—fortior; calor auctus, sitis, anxietas, difficultas spiritum trahendi, moles in imo pectore haerens, tussicula, faucium et glottidis titillatio ingrata, et gustus linguae subsalsus peculiaris.

Quum usque ad summum haec symptomata pervenerint, subitò erumpit cruoris copia (major minorve proüt res diversae se habeant), eodemque temporis momento, aeger sensu suffocationis vel mortis propinquae gravissimo, tussique spasticâ, convulsivâ, donec sanguis per tracheam fuerit tandem ejectus, miserrime torquetur.

Postquam fluxus sanguinis naturâ vel arte

medicâ repressus fuerit, pyrexia non secus ac alia infaustae valetudinis signa sponte evanescunt, aegrumque refectum, intervallum sanitatis magis minusve longum possidentem, linquere solent. Cruorem exsputum plerumque fluidum, tenuem, spumosum, colore ruberrimum, vidimus; sed nonnunquam nigrum et leviter coagulatum; scilicet hunc induit colorem solito diutius, postquam e vase rupto effluxerit, intra pulmones commorando.

Morbi signa generalia me nunc enumerasse credo; sed, sine dubio, secundum causae occasionalis vel excitantis naturam viresque, varia reperiebuntur.

Exacerbatio febrilis (haemorrhagiae praenuncia) sub vesperem ingravescit, et multo mane resolvitur; quamobrem quotidie ante meridiem aegrotus malorum ingens lenimen sentire solet.

Singulis haemoptyseös impetibus semper instabit nonnihil periculi: subita mors minime verenda, nisi quum, diruptis quibusdam pulmonum arteriis amplis, sanguinis rivus adeo prae-

ceps et volubilis fuerit, ut neque naturâ neque remediorum usu cohibeatur. Plus periculi e remotis effectibus plerumque, quam e jacturâ sanguinis praesente, imminere videtur; namque a singulâ sanguinis eruptione, haud dubium pulmones nonnihil damni, causam phthiseös immedicabilis forsitan evasuri, semper perferre.

Haemoptysin haud raro indicium vel sequelam pneumoniae invenimus. In pneumoniâ graviore expectorationem sanguine tinctam, apud nonnullos infausti, et apud alios medicos felicis ominis signum *, saepissime vidimus; sed de his rebus non hic locus est disserendi: de haemoptysi idiopathicâ solummodò, vero atque speciali morbo, in hoc tentamine agendum est.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

1. Causa haemoptysi praedisponens frequentissima, constantissima (et sine quâ omnes fe-

* Vide "Sir J. Pringle on Diseases of the Army," Part 3. cap. 2. p. 140.

re causae excitantes plerumque innocuae forent), conformatio prava vel thoracis ipsius vel viscerum ejus, apud omnes rite habetur. Thorax minime capax, vasa pulmonum sanguifera pro ratâ parte exigua, transitumque sanguinis facilem abnegantia, vel fabrica pulmonis ipsius nimis gracilis et debilis, si naturam morbosam de seipsis non agnoscant, tamen multis et gravibus morbis plane et maxime favent. Sed hanc fabricam pectoris imperfectam plerumque vitio scrophuloso sociatam, semper congenitam, a primâ etiam origine pendere, et igitur prorsus insanabilem fore, perspicuum est. Hos igitur tali conformatione praeditos, (heu! saepe formosissimos et dilectissimos), et decet et oportet alias causas, cum praedisponentes tum excitantes, majore curâ atque diligentiâ evitare.

2. Cicatrix pristini vulneris thoracem et pulmones penetrantis, inter causas praedisponentes de jure collocatur; nimirum, infirmitatem loci inducit, arteriasque reddit pulmonales, (in situ cicatricis saltem), vi etiam minimâ, faciles ruptu.

Eidem capiti, thoracis contusiones, spiculasque costarum fractarum acutas pulmonibus impactas, et vasa sanguifera lacerantes, addere licet.

3. Pneumonia immanis, brevibus intervallis rediens, haemoptysin inter sequelas solitas interdum induxit.

4. Tussis vetusta fabricam pulmonum vexat, —debilitat; idcirco causa fit praedisponens haud parvi momenti.

5. Victus lautus irregularis, et liquoris meracioris vel laticis spirituosi usus immodicus luxuriosus, adhibitâ interim corporis exercitatione pene nullâ, videlicet molem sanguinis pulmonibus propellendam, vimque cordis moventem plus quam sat est, augendo, vix non nocent.

6. Tibiae vel instrumentorum similium perflatum consuetum, causae cum praedisponentis tum excitantis vice perfunctum iri, ratio sat superque monstrat; idcirco auloedos, musicesque istiusmodi assectatores, prae caeteris haemoptysi obnoxios esse, experientia multa probavit.

Omnia, denuo, structuram et functiones pulmonum debilitantia---impedientia, pro causis hujus haemorrhagiae praedisponentibus respicere fas est.

CAUSAE EXCITANTES.

Inter causas praedisponentes et excitantes minimum saepe intercedere discrimen, aliosque nonnunquam alios limites occupare, observatio quotidiana demonstrat.

1. Pulmonibus jam, quocunque modo, debilitatis, haemorrhagia excitatur plerumque conatu quovis, vel motu corporis subito, valido, inopinato; veluti ambulando, currendo, saliendo, diutiùs justo loquendo, clamitando, sternutando, instrumenta musica vehementer inflando, et similibus.

Inter causas excitantes frequentiores operae pretium sit enumerare

2. Tussis vehementis paroxysmum subitum, quâcunque irritatione inductum;

3. Turpem vini aut laticis spirituosi ingurgitationem;

4. Vim externam pectori illatam;

5. Plethoram quocunque modo increpantem;

6. Calorem externum nimis auctum, et corpori, aequo diutiùs, admotum;

7. Congestionem *topicam*, vel sanguinis intra pulmones cumulum abnormem, exercitatione immodicâ, spirandi difficultate, aliisque causis internis parum intellectis, eoùsque coactum.

DE DIAGNOSI.

Diagnosis hujus morbi plerumque facilis: nullis aliis praeter Haematemesin confundi queat; huic etiam revera Haemoptysis longe absimilis.

In Haematemesi, nempe, sanguinem effusum, colore nigerrimum, alimentis crudis, aliisque

ingestis nuper devoratis, commixtum, nixuque vomitionis vehemente semper rejectum, videmus; adsunt quoque nausea antecedens, dolor regionem ventriculi et jecinoris circiter infixus, vertigo, aliaque stomachi graviter laborantis indicia.

In Haemoptysi, e contrario, color sanguinis arteriosus, non secus ac tussicula, dyspnoea, &c. thoracem sedem mali, digito satis superque recto, nunquam non monstrabunt.

Profluvium sanguinis e vasis faucium exiguis laceratis, erumpens, pravâ nonnullorum opinione pro Haemoptysi ratum esse dicitur; sed nisi ignaros haemorrhagia talis fallere non potest, quippe quia fons mali oculis etiam imperitorum facile detegendus.

Vir clar. Professor Gregory suis auditoribus narrat, seipsum in Nosocomio Regio Edinensi novisse balatrones Haemoptysin simulantes, (scilicet gingivas laxas sugendo), et salivam sanguineam tussiculâ fictâ exspuentes, et quamplurimis juramentis se pectore laborare affirmantes. A talibus dolis medicum cavere oportebit.

DE PROGNOSI.

De terminatione haemorrhagiae pulmonalis (nullâ vi externâ incitatae) judicium ab aegri valetudine priore et thoracis conformatione deducere conamur. Omnibus constitutione validâ praeditis, et vitii alicujus scrophulosi expertibus, eventum faustum sperare licet: revera nihil periculi adesse videtur nisi profluvium, quod ad vim et copiam, velut a ruptâ aliquâ arteriâ magnâ, immodicum fuerit.

Ubi fabrica corporis, praeter solitum laxa et delicata, Haemoptysin crebrò et intempestivè redintegratam, cùm morbum de seipso periculosissimum et sanatu difficillimum, tùm morborum aliorum causam, in prognosi formandâ, respicere debemus.

Quum morbus homines scrophulâ haereditariâ imbutos, valetudine alioquin etiam integerrimâ, aggrediatur, praedictionem cautissimam promulgare, medici prudentis est; quia Haemopty-

sis hìc saepe nihil aliud est quam Phthiseös signum primarium.

Ante Haemoptysin, si nonnulla Phthiseös indicia emicuerint; vel post haemorrhagiam, si tussis, dyspnoea, expectoratio aucta, aut alia pulmonum pertinaciter laborantium indicia aegro adhaeserint, spem adeo felicem inchoare vetamur. Praetermissis aliis, terminationi remotae solùm, totum animum impendimus; praesensque incommodum futuro periculo absorbetur.

DE RATIONE MEDENDI.

Methodum medendi duobus consiliis institutam iri, ratio satis superque postulat; videlicet,

1. Effusionem sanguinis quamprimum reprimendi, et

2. Haemorrhagiae reditum prohibendi.

Indicationem primam peragere necesse est

vim cordis propellentem, molemque sanguinis per pulmones transituram, quàm citissimè minuendo; ut, (arteriis ruptis minore copiâ sanguinis suppeditatis), haemorrhagia suâ sponte decrescat, et demum sistat.

Detractionem sanguinis e brachio ad hoc efficacissimè valere, experientia docuit. Medici igitur est, haemorrhagiâ adhuc violentâ, venae sectionem, cum aperturâ amplâ, quamprimum perficere; necnon, (si opus fuerit ad profluvium debellandum), e venâ effluat sanguis usque ad syncopen, unde circuitus per pulmones mitior, vel pene nullus, et contractio aut *systole* omnium arteriarum, ideoque vasorum sanguinem intùs promentium *systole* efficacior.

Inter sanguinem detrahendum, situm corporis erectum, utpote animi deliquio magis faventem, aeger servare jubeatur.

Quod attinet ad sanguinis detractionem, pulsibus arteriarum haud multum fiduciae dandum; namque hìc, ac in aliis morbis, longe aliter res se habent. In Haemoptysi, pulsus debiles, parvi, frequentes, saepiùs circuitum per

pulmones impeditum, et thoracem sanguine effuso gravatum, potiùs quàm debilitatem aut exinanitionem veram, indicaverint. Sed de hoc sat est verborum; namque limites, ultra quos venae sectio perferri nequeat, nullâ lineâ immobili et certâ designandi sunt, neque nisi experientia docendi. Hic ingenio medici fidendum est.

Ad utilitatem evacuationis istiusmodi in haemorrhagiâ sistendâ, intelligendam, parum juvabit quicquid de vi *revulsionis* decantârunt majores nostri, de novo proferre: sine ope Theoriae vagae modum operandi e supra dictis in aprico fore existimo.

Eodem consilio aegri vestimenta vel stragula detrahere, nudumque corpus auris frigidulis per fenestras apertas cubiculum penetrantibus, objicere debemus; quia frigidus aër, non secus ac frigus aliter admotum, stimulum caloris aufert, motum cordis et arteriarum saluberrimè lenit, et totum corpus sedat.

Stimuli omnigeni, cùm interni tùm externi, (scilicet, animi affectus, calor lecti, tussis, ster-

nutatio, et denuo omnes cujusvis musculi voluntarii actiones, motum sanguinis vel in toto corpore, vel solum in haemorrhagiae fonte, nimio properantes), diligenter evitandae sunt. Usum vocis et loquelae aegro prorsus interdicere necesse est.

Potatio frigida quàm maximâ copiâ in ventriculum recepta multùm juvabit. Neque hoc mirum ; quia nexus intercedit adeo mirabilis inter ventriculum aliasque corporis partes, ut potum frigidum huic ingestum, vim magnam stimulos noxios absumendi, et haemorrhagias internas cohibendi, nactum iri liquet.

Medicamenta perfrigerantia cum potatione solitâ haud raro egregie profuit commiscuisse. Ex his validissimum et longe optimum, quippe quia vim magnopere astringentem virtutibus refrigerantibus adjunxit, acidum sulphuricum recensetur. Plurimâ aqua dilutum, et saccharo aut gummi ad gratum saporem usque redactum, ad libitum cum insigni beneficio administrari potest. Formula, ut infra, fortasse optima.

℞. Decoct. Hordei compos. lb. ijſs.
Syrup. Simplicis, ℥ vi.
Acidi Sulphur. dilut. ʒ iv. Commisceatur acid. cum Syrupo ; deinde adde Decoct. Hordei. M. Utatur pro potu ordinario.

Si haemorrhagia his remediis parere recuset, atque e contrario vi furit indomitâ, exinanitionis et mortis minace, medici nunc erit spem vitae reliquam aegrotanti conciliare, pectus, dorsum, et scapulas aquâ frigidâ impigrè irrigando, et mantile amplum, densum, liquore frigidissimo immersum, thoraci admovendo.

Quod ad hoc remedium attinet, forsitan vis quâ frigus ad arterias superficiei corporis constringendas pollet, usque ad partes internas consensu vel sympathiâ inter cutem et pulmones communicatur, ideoque vasorum sanguinem promentium incitat contractionem.

Venae sectio ultra limites intensa, e necessitate haemorrhagiam cohibere solet, sed interea robur machinae animalis adeo frangitur, ut aeger haud raro vix plane convalescat ; quamobrem et meliùs et prudentiùs fore opinor, de-

tractionem sanguinis ulteriorem ante praetermittere quàm corpus admodum fuerit exhaustum, methodumque refrigerantem supra monstratam experiri.

Beneficium praeclarum sperare fas est: et nisi de aegro jam usque ad extremum ventum sit, applicationem frigoris tentâsse, haud (ni fallor) unquam medicum poenitebit.

Haemorrhagiâ his auxiliis pro tempore pacatâ, indicationem medendi secundam tractare vacui fimus. Scilicet, consilio haemorrhagiae reditum prohibendi, medicamenta purgantia, praesertim diluentia et refrigerantia—exempli gratiâ, sales medios, vel cassiam sennam, ut infra, quam acriter exhibemus:

℞. Infus. Cassiae Sennae, ℥ vi.
Supertart. Potassae, ʒ fs. M. Sumt. ℥i.
quâque horâ, donec alvus dejecta fuerit.

Materiam corruptam in *primis viis* diu retentam, corpus stimulare, motum sanguinis abnormem incitare, calorem augere, ideoque cathartica adversus hanc irritationem optime pollere, perspicuum est. Sed praeterea fluxus alvi, vel

naturâ vel arte inductus, nutrimentum corporis divertit, vires functionum vitalium minuit, adimitque musculorum omnium, cùm voluntariorum tùm non, tensionem praeternaturalem.

Evacuationes alvi faciliùs et tutiùs quàm venarum, inter Haemoptysicos, perficere possumus.

Animi pariter ac corporis, sed praesertim partium respirationi inservientium, placida quies nequaquam negligenda est.

Quandocunque arteriarum pulsus nimiâ vi aut frequentiâ micant, sanguinem iterum atque iterum, jacturâ priore facile toleratâ, detrahere licet: sed hic oculo cautissimo aegri conditionem et morbi durationem respicere graviter suadeo.

Dyspnoea et tussis non modo vexant, sed etiam pulmones stimulant, et haud raro haemorrhagiae reditum conciliant: has igitur irritationes, misturis mucilaginosis, haustibus anodynis, vel demum emplastro vesicatorio pectori imposito, (remedio aliorum longe praestantissimo), lenire et debellare conamur.

Dotes Digitalis Purpureae ad vim cordis et arteriarum sopiendam,—minuendam, mirabiles, plurimâ experientiâ comprobatae fuerunt; idcirco hoc remedium indicationi secundae utilissimum optimo jure recensetur. Diathesin phlogisticam frangit, et saepe nixum febrilem, haemorrhagiae reducem, absolvit. Hoc medicamen semper sub formâ pilulae vel tincturae, dosibus primò parvis, brevi iteratis, et quotidie paulisper auctis, citra nauseam et vomitionem, devorari dandum est. Simul ac pulsus arteriarum debiliores, lentiores, et praesertim intermittentes evaserint, hoc remedium potentissimum tempus erit omittendi.

Diaetâ tenuissimâ ac etiam parcissimâ, ex oleribus et frugibus praecipue parata, Haemoptysicos uti jubemus. Carnes omnigenae, ut corpus plus justo calefaciunt, (primis morbi diebus saltem), sunt penitus abnegandae; quapropter nullum cibum nisi frigidum, vel saltem frigidulum, et plurimo potu subacido dilutum, devoratu idoneum esse, probe intelligetur.

Anodyna nocte exhibita irritationem et tus-

sim sopiunt, somnumque illiciunt. Remediorum sedantium Opium certe validissimum ; sed propter vim peculiarem evacuationes ventris solitas reprimendi, motumque cordis et arteriarum accelerandi, auxilium anceps videtur. Hyosciamus his incommodis caret ; ideoque huic morbo utilior, proüt dotibus suis narcoticis alvum leniter solvendi facultatem adjunxit.

Remedia astringentia sanationem integram magnopere promovebunt. Sed rarò priùs exhiberi debent, quàm evacuatione aptâ, regimine *antiphlogistico*, vel Digitalis virtute, circuitus sanguinis probe subactus fuerit.

Hoc rite peracto, Sulphas Ferri, Zinci et similia, contra haemorrhagiae proclivitatem plurimum valebunt.

Cerussa acetata internè exhibita pro medicamine astringente atque sedante nonnullis medicis decantatur. Sed Plumbum, minimis etiam dosibus, corpori vix, et ne vix quidem, non nocivum. Medici prudentis igitur erit, talia prorsus rejicere, atque eò magis, quia praeparata e

Ferro vel Zinco easdem facultates possidere certi sumus.

Sin autem, praeter conatus nostros optimos, Haemoptysis in Phthisin Pulmonalem desinat, consilium medendi longe aliud, tunc necessarium erit. Sed de hoc non meum est loqui, quia de Phthisi Pulmonali non in animo erat disserere.

Hìc igitur, indulgentiâ lectorum fretus, opus meum, qualecunque sit, ad finem duco.

FINIS.